

tis in Socrate, quod in ipso Xanthippen
 uxorem prædicare solitam, refert Cicero
 eodem scilicet semper vultu vidisse ex-
 euntem illum domo, & reuertētem. Ani-
 maduersis quidem tantis fluctuationibus
 hominum, cæterorum ac tam crebris
 motibus, vt iure dictum sit à Seneca, de
 aliquo quem heri videris meritò dici pos-
 se: hic quis est, liquet illam moris con-
 stantiam, nisi sapienti vnquam potuisse
 contingere, præsertim hoc addito quod
 apud eundem Ciceronem sequitur: Non
 fuisse eam Socratis frontem: quæ M.
 Crassi illius veteris, quem semel, ait, in
 omni vita risisse Lucilius, cuius vnici ri-
 sus causa, nec ab ipso nec ab alio quod
 sciam prodita est, & erat cognitu non in-
 digna res: Sed tranquillam & serenam
 affert rationem: Iure enim, inquit, erat
 semper idem vultus, cum mentis à qua is
 fingitur, nulla fit mutatio: Quæ nisi fal-
 lor cōsummatae sapientiæ laus est. Ad no-
 men Xanthippes, vnum Socratis respon-
 sum in memoriam redit, siquidem liti-
 giosam illam & procacem coniugem, &
 foemineis importunitatibus abundan-
 tem, cum patientissimè supràque fidem
 æquanimiter perferret, admirans Alci-